



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXVII. Sacrosanctae Virginis iussu, à D. Mercurio, Iulianus Imp. sacuisimus Christianorum hostis, interficitur; Basilijq. ciuitas ex eius furore, & impetu elabitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

admirabili laetitia populum expleuit, omnes ad coe-
 lū manus tollētes, huius immortalis reginae summā
 pietatem, ac singularem misericordiam summis pro-
 sequi laudibus. Iuuenis uerò in patriā rediens, quan-
 diu postea uixit, sanctissimae suae liberatrici sedulā
 operam dedit; eius cultum nunquam deferens.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

*Sacrosanctae Virginis iussu, à D. Mercurio, Iulianus Imp.
 facuissimus Christianorum hostis, interficitur; Basiliq. ciuitas
 ex eius furore, & impetu elabatur.*

DV M contra Persas bellum Iulianus Imp. su-
 sciperet; Christianorum sanguinem Idolis
 uouit, si pedem domum uictor referens, de
 hostib. triumphum egisset. Dum in Persiam iter ha-
 beret, cum Basilio, qui ei obuiam fortè concurrerat,
 hunc habuit sermonem: Ciuitatem tuam, Basili, de-
 bellatis Persis, funditus euellere, in animum induxi;
 postquam cum populo tuo, nūquam adduci potuisti,
 ut Idolis meis honorem haberes. In urbem ubi redijt
 Basilius, ordine omnia, quae tyrannus dixerat, uniuersis
 ciuib. aperuit. Ut autem tanto periculo obuiā ire-
 tur, edixit, ut omnes ab infantib., usq. ad natu gran-
 diores, & eos, qui exacta iam aetate erant, una in Di-
 didimum montem, in quo Virginis templum erat, con-
 scenderent; & ibi, post tridui ieiunium, à Deo petere-
 tur, ut impij Iuliani uota aliorum caderent. Sancti
 uiri consilio statim ad rem ipsam collato, dum se om-
 nes inedia, & precatione exercebant; ipse animo, &

Hh mente

mente è corpore elapsus, & quasi abstractus coelestū maximum numerum in mōte uidit, quorum in medio Virgo in excelsa sede confederat. Ea D. Mercurium accersiri iussit; ut ad Iulianum necandum conuolaret; qui impia, ac scelerata facinora contra Dei, eiusq. filij maiestatem moliebatur, ac pertentabat. Fuluis igitur armis radians se se in coeli reginae conspectum Mercurius dedit; libentissimè, quaecunq. ea imperasset, facturum. Extasi tandem Basilus magnus excitus ad urbem concessit; & ad Mercurij sepulchrum accedens, eius arma, quae illic appensa adseruabantur, deesse uidit. Quisnam ea abstulisset, ab aedituo percunctatus est. Ille, ibi arma uisa fuisse proximè praeterito die, & quisnam ea surripuisset, sibi plane ignotum esse, adiurauit. Eam ob rem ijs fidem Basilus adhibens, quae uiderat, palam populo rem enunciauit. una igitur omnes laeti Deum laudātes, & recta ad D. Mercurij sepulchrum concedentes, recenti sanguine eius lanceam imbutam inuenere. Iam omnes ob tantum beneficium ex ijs, quae audierāt à Basilio, gaudio triumphabant; certa q. illis spes iniecta erat, patriam liberatam esse. Dum ubiq. laetitia, & gaudium agitaretur, Libanius Imperatoris quaestor illuc aduentans, rem, uti acciderat, exposuit. Inquit .n. ille, cū Iulianus, circa Eufratem castris dispositis, militum praesidijs conseptus esset, prima uigilia armatum militem ei obuiam processisse; qui ipso hasta transfixo, statim abiit. Iulianus uerò sauciatus itā, ut exercitus uniuersus eius uocem exaudiret, clamare coepit; uicisti Gallilaeae, uicisti Gallilaeae.